DE FORMVLIS

QVIBVS PHILOSOPHI STOICI SVMMVM BONVM DEFINIERVNT.

SYMBOLARVM AD HISTORIAM PHILOSOPHIAE

PARTICVLA OCTAVA

QVA

PHILOSOPHIAE DOCTORVM

ET LL. AA. MAGISTRORVM

CREATIONEM ANNVAM

DIE XIII. M. FEBR. A. MDCCCXXXIV.

IN ORDINIS PHILOSOPHORVM CONCLAVI

RITE PERACTAM

NVNTIAT

D. GVILIELMVS PISTOTHEVS KRVGIVS

EIVSD. ORD. H. T. DECANVS.

Krug

LIPSIAE

TYPIS STARITZII TYPOGR. ACAD.



Veteres philosophi, qui non solum in rerum naturalium causas inquirebant ac propterea physici appellabantur, sed etiam vitae humanae, quatenus moribus et legibus regitur, rationes explorabant et propterea ethicorum nomine insigniebantur, a recentioribus eo quam maxime differebant, quod ab initio doctrinae moralis non primam quandam legem, sed potius ultimum quendam finem investigare atque ex hoc demum illam derivare conabantur. Primaria igitur quaestio ethicae antiquae erat haec: *Τι εστι το τελος* — *quis est finis?* scilicet omnium actionum humanarum (*τελος των πραξεων*) vel omnium bonorum, quae homines agendo appetunt (*τελος των αγαθων*). Istum autem finem eandem ob causam *summum* quoque *bonum* (*το ακροτατον αγαθον*) vel *ultimum bonorum* (*το εσχατον των αγαθων*) nuncupabant. Hinc et hominem eiusque appetitus cum reliquis animalibus eorumque appetitibus comparare solebant, ut omnium quasi complexum vel fontem bonorum cognoscerent atque exinde illud bonum delibarent, quod homini prae caeteris esset appetendum.

Quamvis autem veteres philosophi in hac quaerendi via et ratione fere omnes convenirent, tamen in constituendo ipso illo bono plurimum a se invicem discedebant. Alii enim voluptatem, gaudium, hilaritatem, felicitatem vel beatitudinem (*ἡδονην*, *χαραν*, *ευθυμιαν*, *ευδαιμονιαν*, *μακαριοτητα*) alii indolentiam vel animum omni dolore, angore, terrore liberum (*απονιαν*, *αοχλησιαν*, *αθαμβιαν*, *αταραξιαν*)

alii scientiam vel mentis aciem, qua verum cerneretur (επιστημην, θεωριαν) alii virtutem (αρετην) sive solam sive cum uno vel altero ex illis coniunctam pro summo bono habebant, ita ut huius boni ideam singuli philosophi secundum suam ipsorum indolem conformasse et, quod cuique commendatissimum esset, id aliis quoque tamquam summum et optimum adeoque omnibus, qui saperent, exoptatissimum commendasse videantur. Fuerunt etiam, qui finem et scopum (το τελος και τον σκοπον) quique finem et, si ita dicere licet, subfinem (το τελος και το ὑποτελες vel την ὑποτελιδα) distinguerent. Conf. harum symbolarum part. III.

Sed nolumus iam hanc rem ipsam, quippe quae longioris est indaginis, ut vel ex Ciceronis libris de finibus bonorum et malorum apparet, pertractare. Id tantummodo nobis est propositum, ut formulas, quibus *philosophi ex porticu* utebantur ad summum bonum definiendum, accuratius exponamus. Quamquam enim *Stoici* in re ipsa fere consentiebant, magnopere tamen dissensisse videntur quoad verba seu formulas, quibus eam enuntiabant. Ne igitur dissensus hic verbalis, ut logici dicunt, habeatur pro reali, quod iam antiquitus factum esse constat: afferamus istas formulas earumque vim penitius exploremus.

Ac primo quidem Zeno Cittievs, scholae stoicae clarissimus auctor, summum bonum in eo collocavit, quod uno vocabulo ὁμολογια vel (Cicerone de fin. III, 6. interprete) *convenientia* dictum est. Quod quale sit, ex Ioannis Stobaei eclogis (II, 7. pag. 132. ed. Heer.) patet, ubi plenior formula, qua Zeno ipse usus esse videtur, his verbis est enuntiata: *Το τελος ὁ μεν Ζηνων ὁυτως απεδωκε, το ὁμολογουμενως ζην. Τουτο δ' εστι καθ' ἑνα λογον και συμφωνον ζην.* Quapropter illa ὁμολογια a quibusdam etiam συμφωνια, consonantia, est appellata. Est igitur haec convenientia vel consonantia nihil aliud, quam *perfecta virtus*, certe ex sententia Senecae. Hic enim in epi-

stola XXXI. ad Lucilium suum disertis verbis ait, perfectam virtutem esse „*aequalitatem ac tenorem vitae per omnia consonantem sibi.*" Eadem autem *sapientia* quoque dici potest. Nam in epistola XX. idem auctor rectissime ait: „Quid est sapientia? *Semper idem velle* „*atque idem nolle*; licet illam exceptiunculam non adiicias, ut re„ctum sit, quod velis. Non potest cuiquam semper idem placere, nisi „rectum." — Si quis igitur vellet ex ista formula derivare summam legem moralem, haec ita se haberet: *Vive convenienter!* i. e. accommodate ad unam sibique semper consonam rationem. „Vt enim hi„strioni actio, saltatori motus, non quivis, sed certus quidam est da„tus: sic vita agenda est certo genere quodam, non quolibet; quod „genus conveniens consentaneumque dicimus." Cicero de finibus III, 7. Neque negari potest, hominem, qui ita vivat, dignum fore, qui ab Horatio „integer vitae scelerisque purus" praedicetur.

Verumenimvero ista formula nimis brevis ac simplex, imo ieiuna, quasi succo et sanguine careret, videbatur iis, qui post conditorem scholae stoicae in eadem porticu philosophiam docebant. Emendare igitur eam atque ampliorem facere studebant addito vocabulo *naturae*. Quorum primus fuit Cleanthes ille celeberrimus, cuius egregium hymnum in deum non ita pridem vernaculo sermone reddere conati sumus. Conf. harum symbolarum part. II.

Stobaevs nempe loco paulo ante laudato hunc in modum pergit: *Ὁι δε μετα τουτον* — Zenonem puta — *προσδιαρθρουντες ὁυτως εξεφερον, ὁμολογουμενως τῃ φυσει ζῃν, ὑπολαβοντες ελαττον ειναι κατηγορημα το ὑπο τȣ Ζηνωνος ῥηθεν. Κλεανθης γαρ πρωτος διαδεξαμενος αυτȣ την ἁιρεσιν προςεθηκε τῃ φυσει, και ὁυτως απεδωκε· τελος εστι το ὁμολογουμενως τῃ φυσει ζῃν.* Vnde nata est notissima illa formula legis summae moralis: *Naturae convenienter vive!*

Errat igitur Diogenes Laertivs (VII, 87) qui hanc formulam non solum Cleanthi, sed etiam Zenoni tribuit, tamquam utrique

communis fuisset. Verba eius sunt haec: *Πρωτος ὁ Ζηνων εν τῳ περι ανθρωπου φυσεως τελος ειπε το ὁμολογουμενως τῃ φυσει ζῃν, ὁπερ εστι κατ' αρετην ζῃν. Αγει γαρ προς ταυτην ἡμας ἡ φυσις. Ὁμοιως δε Κλεανθης εν τῳ περι ἡδονης.* Provocat quidem auctor ad illius librum de natura hominis, qui, ut alia eiusdem scripta, periit. Quapropter HEERENIVS in editione sua eclogarum stobaeanarum coniicit, fieri potuisse, ut conditor scholae stoicae uno loco scriptorum suorum breviorem formulam (*ὁμολογουμενως ζῃν*) alio longiorem (*ὁμολογουμενως τῃ φυσει ζῃν*) proposuerit. Sed haec coniectura parum est probabilis, cum STOBAEVS, multo accuratior hac in causa quam LAERTIVS, non solum formulas utriusque philosophi distinguat, sed etiam rationem afferat, quae discipulum impulerit, ut a formula praeceptoris discederet aliamque effingeret.

Haec tamen ipsa formula nequaquam est melior, sed potius deterior, quam illa, cum ambiguitate quadam laboret, quae, ut fieri solet in philosophorum scholis, etiam controversiae ansam praebuit. Quaesitum enim est, de quanam natura in hac formula sermo esset, utrum de universa omnibusque rebus communi, an de hominis natura in specie. Ad hanc quaestionem teste eodem LAERTIO ipsi Stoici vario modo respondebant. Ait enim ille (VII, 89): *Φυσιν δε Χρυσιππος μεν εξακουει, ᾗ ακολουθως δει ζῃν, την τε κοινην και ιδιως την ανθρωπινην· ὁ δε Κλεανθης την κοινην μονην εκδεχεται φυσιν, ᾗ ακολουθειν δει, ουκετι δε και την επι μερους.*

Verumenimvero haec differentia secundum Stoicorum physiologiam, quae simul theologiam et anthropologiam amplectebatur, non erat magni momenti. Natura enim universa sive *το παν* ex mente illorum philosophorum cum numine divino tam arcte est coniunctum, ut utrumque unum idemque esse dicerent, quamvis diversis nominibus nuncupatum. Ita SENECA de beneficiis IV, 7: „Quid aliud est,“

inquit, „natura, quam deus et divina ratio, toti mundo et partibus „eius inserta?“ Quapropter et Stoici totum mundum *ουσιαν θεου* appellabant et naturalem legem vim divinam vel deum ipsum esse censebant recta imperantem prohibentemque contraria. Conf. Diog. Laert. VII, 148. et Cic. de nat. dd. I, 14. Cum autem homo eiusque natura tamquam pars communi illa seu universa natura comprehendatur, secundum eandem doctrinam philosophorum stoicorum naturae convenienter vivere nihil aliud est quam naturali legi vel deo ipsi recta imperanti prohibentique contraria obtemperare, adeoque honeste vivere, virtuti studere, abhorrere a vitio. Hinc etiam Stoici dicebant, omnes istas formulas, *το ὁμολογουμενως ζῃν, το κατα φυσιν ζῃν, το κατ' αρετην ζῃν, το καλως ζῃν, το ευ ζῃν*, unam eandemque habere vim (*ισοδυναμειν*). Conf. Stob. ecl. II, 7. pag. 138.

Nihilo tamen secius Chrysippvs, tertius scholae stoicae praesul, qui porticum Stoicorum ita fulsisse putabatur, ut de eo dicerent: *Ει μη ην Χρυσιππος, ουκ αν ην στοα*, novam et meliorem formulam proponere studuit. Conf. Cic. acad. II, 24. Laert. VII, 87 et 183. Stob. ecl. II, 7. pag. 134. Pergit enim is, quem ultimo loco nominavimus, hunc in modum: *Ὁπερ* — nempe id, quod antecessor tamquam *τελος* constituerat — *ὁ Χρυσιππος, σαφεστερον βουλομενος ποιησαι, εξηνεγκε τον τροπον τουτον· ζῃν κατ' εμπειριαν των φυσει συμβαινοντων*. Quis autem est, qui non videat, hanc formulam neque novi neque melioris quid afferre? Naturam enim ipsa quoque commendat tamquam summam normam actionum humanarum. Si vero ea, quae natura accidunt, quatenus experientia duce cognoscuntur, vitam nostram regere debent: nescio an hoc modo certa et constans actionum regula inveniri queat. Ea enim, quae secundum experientiam natura accidunt, sunt tam varia et saepenumero sibi opposita, ut vix quisquam exinde eliciat, qua ratione omni tempore ac loco agendum sit, ut summum finem assequatur.

Idem fere valet de formula DIOGENIS BABYLONII, Stoici celeberrimi, qui non solum Athenis philosophiam docuit, sed etiam, una cum CARNEADE et CRITOLAO ab Atheniensibus Romam missus, ibi cum senatu de rebus publicis transegit. Dixit nempe, finem esse *το ευλογιστειν εν τῃ των κατα φυσιν εκλογῃ*, ut LAERTIVS ait, vel secundum STOBAEVM, *την ευλογιστιαν εν τῃ των κατα φυσιν εκλογῃ και απεκλογῃ*. Huic autem formulae magna ambiguitas inest, ne dicam contradictio. Nam si ea, quae secundum naturam (*κατα φυσιν*) sunt, eligenda sunt, ut naturae convenienter vivas: fieri non potest, ut eadem quoque non eligantur i. e. reiiciantur. Reiicienda potius sunt ea solummodo, quae contra naturam (*παρα φυσιν*). Sin autem illa ipsa, quae secundum naturam, partim eligenda partim reiicienda essent: alia regula adesse deberet, secundum quam electio et reiectio fieret, ut bona ratione vel prudenter (*ευλογως*) eligeres et reiiceres, prout unum alteri praestaret.

Hinc etiam alius Stoicus, ANTIPATER TARSENSIS, qui a quibusdam et SIDONIVS appellatur, illam formulam, ut videtur, corrigere studens, aliam proposuit. Idem enim auctor (STOBAEVS l. l.) refert, hunc philosophum docuisse, finem esse *το ζῃν εκλεγομενους μεν τα κατα φυσιν, απεκλεγομενους δε τα παρα φυσιν διηνεκως*. Voluit igitur hic Stoicus, ut semper vel continuo (*διηνεκως*) ea, quae secundum naturam, eligerentur, contraria autem reiicerentur. Et recte quidem; alias enim naturae convenienter vivi sapientisque constantia obtineri omnino non posset.

Sed unus adhuc commemorandus est Stoicus, qui a praecedentibus plane discessit, certe quoad verba, quibus formulam suam ad designandum summum bonum composuit. Teste enim eodem auctore, cui etiam DIOGENES LAERTIVS (VII, 88) adstipulatur, ARCHEDEMVS TARSENSIS statuit, finem esse *το παντα τα καθηκοντα επιτελουντα ζῃν*. Iam cum *το καθηκον* (quod pertinet ad aliquem vel quod decet

aliquem) apud Graecos in doctrina de moribus idem significet, quod Latini officium dicunt: manifestum est, hunc Stoicum in ratione potius, quae legibus ipsi propriis liberam voluntatem dirigentibus et iura et officia hominum constituit, quam in natura, cuius leges longe aliam vim habent, cum non libertatem sed necessitatem spectent, summum bonum adeoque et summam legem actionum humanarum quaesivisse. Meliorem igitur ingressus est viam in philosophando de rebus moralibus, quam illi Stoici, qui ambiguum naturae vocabulum formulis suis immiscuerant. Caeterum neque LAERTIVS neque STOBAEVS ullum alium huius scholae philosophum nominat, qui ARCHEDEMI vestigia hac in re persecutus fuerit.

Quapropter eam iam mittamus et ad illud accedamus, cuius causa haec ipsa sunt a nobis scripta.

Maiores nostri voluerunt, ut certo quodam anni tempore ii, quibus ordo noster summos in philosophia honores decrevisset, publice ac solemniter renuntiarentur. Festum autem hoc tempus annuae creationis atque inaugurationis doctorum philosophiae et magistrorum artium liberalium iam rediit. Dum igitur illi maiorum instituto rite obtemperavimus, nihil nobis magis curae cordique fuit, quam ut viros istis honoribus dignos nominaremus eosque VOBIS, RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE, PRINCEPS CELSISSIME, COMITES ILLVSTRISSIMI, PROCERES VTRIVSQVE REIPVBLICAE GRAVISSIMI, COMMILITONES PRAENOBILISSIMI ATQVE AESTVMATISSIMI, omni qua par est observantia commendaremus.

Sed ante omnes commemorandi nobis sunt ii, qui singulari summi numinis favore superstites adhuc sunt ex illorum numero, quos ordo noster ante hos quinquaginta annos iisdem honoribus ornavit:

VIR

ILLVSTRIS ET CONSVLTISSIMVS

GODOFREDVS LVDOVICVS WINCKLER

IVRIS VTRIVSQVE ET PHILOSOPHIAE DOCTOR, QVONDAM PROFESSOR IVRIS LIPSIENSIS, NVNC REGI SAXONIAE A CONSILIIS IN REBVS AVLICIS ET IVDICIARIIS, EQVES ORD. SAXON. VIRT. CIV.

atque

VIR

EXCELLENTISSIMVS ET AMPLISSIMVS

SAMVEL FRIDERICVS GVENTHERVS WAHL

PHILOSOPHIAE DOCTOR EIVSDEMQVE PROFESSOR PVBLICVS ORDINARIVS IN VNIVERSITATE LITTERARVM HALENSI CVM EA QVAE OLIM VITEBERGAE FLORVIT CONIVNCTA.

His igitur viris, qui et de republica et de litteris per longam annorum seriem optime sunt meriti, non solum semisecularia haec gaudia congratulamur, sed etiam senectutem placidam ac vegetam ex animo apprecamur.

Quod autem ad eos attinet, qui hoc ipso anno tabulis publice propositis doctores philosophiae et magistri artium liberalium sunt creati ac denuo in conclavi nostro renuntiati, eorum nomina sunt haec:

VIR PLVRIMVM REVERENDVS EXCELLENTISSIMVS ATQVE DOCTISSIMVS

CAROLVS CHRISTOPHORVS THEOPHILVS ZERRENNER

REGI. BORVSS. A CONSILIIS IN CONSISTORIO ET REBVS SCHOLASTICIS, MONASTERII B. MARIAE VIRG. QVOD MAGDEBVRGI FLORET PRAEPOSITVS, PAEDAG. MONAST. DIRECT. PRIMVS, SEMINARII LVDIMAGG. REGII SVRDORVMQVE ET MVTORVM SCHOLAE DIRECTOR, SCHOLARVM MAGDEBVRGG. INSPECTOR, AQVILAE RVBRAE INSIGNIBVS TERT. CLASS. CVM LEMNISCO ORNATVS EQVES, EGREGIIS IN REM PVBLICAM LITTERARIAM ECCLESIASTICAM ET SCHOLASTICAM MERITIS CLARISSIMVS.

LVDOVICVS AVGVSTVS SIMSON

REGIMONTIO-BORVSSVS,

THEOLOGIAE CANDIDATVS.

CAROLVS BENIAMIN HOFMANN

DRESDENSIS,

REV. MIN. CANDIDATVS.

CAROLVS LEOPOLDVS WOICKE

SCHOENECCIENSIS,

MVN. ECCLES. CANDIDATVS.

AVGVSTVS OTTO LVDOVICVS GIESE

LVEDERSBVRGENSIS,

COLLABORATOR IN GYMNASIO PARCHIMENSI.

CAROLVS REINHOLDVS IACHMANN

IENCAVIENSIS,

REV. MIN. CANDIDATVS.

IOANNES GVILIELMVS IAECKE
ZWICCAVIENSIS,
THEOLOGIAE CVLTOR.

MAVRITIVS LVDOVICVS WENDT
FRIBERGENSIS,
THEOLOGIAE CVLTOR.

GVILIELMVS KIESER
LONGIPRATENSIS,
PHILOLOGIAE STVDIOSVS.

ROBERTVS GVSTAVVS HERING
BVDISSAS,
MATHESEOS STVDIOSVS.

CAROLVS THEOPHILVS SCHMIDT
NEVSALZA-MISNICVS,
PHILOLOGIAE STVDIOSVS.

MARTINVS HOPPE
CHRISTFELDA-BORVSSVS,
DOCTOR MATHESEOS IN GYMNASIO NEOSTETTINENSI.

GVILIELMVS LVDOVICVS PETERMANN
LIPSIENSIS,
MEDICINAE STVDIOSVS.

FRIDERICVS GVILIELMVS FRANCKE
LIPSIENSIS,
REV. MIN. CANDIDATVS.

GEORGIVS ZILLIG
LIPSIENSIS,
THEOLOGIAE STVDIOSVS.

Antiquo denique ritu in conclavi nostro creati ac renuntiati sunt:

CAROLVS HERMANNVS BRVDER
LIPSIENSIS,
THEOL. CAND. SOCIET. EXEGET. ET PAEDAGOGICOCATECHET. SODALIS.

DAVIDES IOANNES HENRICVS GOLDHORN
LIPSIENSIS,
REV. MIN. CAND. ET SOCIET. HISTORICOTHEOL. SODALIS.

IOANNES GODOFREDVS GVENTHER
MOCCAVIENSIS,
REV. MIN. CANDIDATVS.

HERMANNVS IOSEPH
TEVRITIO-SAXO,
NOTARIVS PVBLICVS.

IOANNES BENNO KVMMER
DRESDENSIS,
THEOLOGIAE STVDIOSVS.

HERMANNVS GEORGIVS THEODORVS LADEWIG
ROSTOCHIENSIS,
PHILOL. STVDIOS. ET SOCIET. GRAECAE SODALIS.

CAROLVS FRIDERICVS SCHEIBE
GERANVS,
PHILOL. STVDIOS. ET SOCIET. GRAECAE SODALIS.

OTTO HERMANNVS HOEFER
DRESDENSIS,
THEOL. STVDIOSVS.

FRIDERICVS MAVRITIVS PVTZER
BOCKELWITIENSIS,
THEOL. STVD. ET SOCIET. HISTORICOTHEOL. SODALIS.

MAVRITIVS AVGVSTVS BEHR

GERANVS,

THEOLOGIAE STVDIOSVS.

CAROLVS HERMANNVS MEYER

GEITHAINENSIS,

THEOLOGIAE STVDIOSVS.

Hos igitur Viros Clarissimos non iis solum, qui Academiae Ordinique nostro favent, sed omnibus omnino litterarum artiumque bonarum patronis commendatissimos haberi cupimus.

P. P. in Vnivers. Litt. Lipsiensi Domin. Invoc. A. Ch. MDCCCXXXIV.

